

DIEM NOMINALEM  
*V I R I*  
*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi*  
*Consultissimique*  
 DOMINI  
**JOHANNIS  
 GODFREDI  
 ROESNERI,**  
*Burggrabii Regii, Pro-Consulis*  
*ac Protoscholarchæ*  
 In Regia hac Civitate  
 Longe meritissimi gravissimique  
 Anno 1713.  
*Fausto sidere recurrentem,*  
*Exili hoc Carmine*  
 audi quidem Minerva, sed fido ubique demissæ  
 mentis interprete concepto  
 celebrabant  
 Gymnasi Thorunensis  
**Auditores Supremi & Primi Ordinis.**



\*\*\*\*\*  
 T H O R V N I I,  
 Impressit Joannes Nicolai, NOB. SENAT. & GYMNASII Typographus.

**J**am dulce lœto carmine perstrepit  
Pindi cacumen, jamque Tuas docet,  
Vir summe, laudes erudita.  
Calliope resonare sylvas.  
Vultu benigno respice, quæ dies  
Hic Nominalis carmina provocat,  
Interque plaudentes clientes  
Inveniant facilem rogamus  
Locum Camœnae. Magna quidem jubet  
Præceps subire ausu temerario  
Nos Musa, dum versu molesto  
Limina tentat adire Vestra.  
Terrent ephebi sæva pericula,  
Quicum procaci scanderet impetu  
Currum parentis, fertur alti  
Fulminibus periisse Jovæ.  
Terret superbi flebilis Icari  
Ruina, qui dum celsa nimis petit  
Alis ineptis fertur undis  
Icarium imposuisse nomen.  
Si summa possem fundere carmina,  
Velut Catullus vel cecinit Maro  
Sonorus olim, vix valerem  
Hocce satis celebrare festum.  
Ignosce, Fautor Maxime, carmini  
Quod nostra tardo pectine concinit  
Minerva, nec minante balbas  
Respuie, Vir, facie Camœnas.  
Iovi supremo non minus hic placet,  
Quisquis tenellæ sanguine proluit  
Aras bidentis, quam facellum  
Mille boum tepidum cruento.

Sic

Sic Rex benigno pectore Persicus  
Recepit undam, quam manibus cliens  
Haustam ferebat, cum novercans  
Sors meliora negasset ipsi.  
Doce gubernas, quem tibi tradidit,  
Vir summe, quassæ naviculæ Deus  
Clavum, licet quandoque pugnax  
Commovet fera turbo bella.  
Timet beatam prædo nefarius  
Tentare navim, sed juvat eminus  
Latere, vel turpi malignæ  
Consuluisse fuga saluti.  
Velut citatis gressibus aufugit  
Lupus cruentus, nec tenerum gregem  
Adire tentat, si fidelis  
Debile servet ovile pastor.  
Quodsi tremendus terreat Aolus,  
Aether quia crebris fulminibus micet,  
Ad tutu pervagam reducis  
Littora Summe Patronc, pinum.  
Ventura quævis e specula potens  
Longe ante cernis, quæque pericula  
Instare quassæ scis carinæ,  
Consilio removes potente.  
Discrimen omne hinc pro tenera tui  
salute civis magnanimus subis,  
Non hostium sœvæ cohortes  
Non subeunda pericla terrent.  
Accedit erga Pierides sacras  
Favor, canendus pectine tinnulo,  
Quas inter bellicas tueris  
Non secus atque pater ruinas.

Ergo

Ergo serena fronte Tuas canunt  
Laudes, sonoram pars citharam capit,  
Pars læta dicit plectra, colles  
Carminibus reboant supini.  
Tacere præstat queis sacer artibus  
Apollo primos imbuerit Tuæ  
Annos juventæ, ne Camœna  
Pondere sub nimio fatiscant.  
Majora multo dulcisono forent  
Canenda plectro, ni Tua quoslibet  
Contemneret virtus colores  
Non secus atque perenne marmor.  
Hinc Nominalem, Maxime Vir, Tuam  
Læto celebrat pectore civium  
Cohors & antiquo dolore  
Explicat ægra Thoruna mentem.  
En ceu fideles carmine supplice  
Et duplicatis sollicitent Deum  
Palmis clientes, omniumque  
Ore preces geminentur istæ.  
His se sodales Castalides piæ  
Præbent, & alti limina supplices  
Pulsant Olympi, pro Tuaque  
Thura ferunt humiles salute.  
Semper sereno Te facilis precor  
Fortuna vultu respiciat: dies  
Quem jam celebras Nominalis  
Sidere sæpe hilari recurrat.  
Donec peractis pro populi bono  
Et pro Camœnis, quas colis unice,  
Curis solitus morte dulci  
Sidereum repetes Olympum.

113235

THO